



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vsvardi Martyrologivm**

**Usuardus <Sangermanensis>**

**Lovanii, 1573**

Capvt XIIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

anno nongentesimo tertio; & vario vastationis genere depopulata est has regiones, per annos circiter quinquaginta. Tempore Otthonis primi aggressi sunt Lotharingiam, sed virtus Dei per merita sanctorum Vrsmari, & Ermini, apud Lobium monasterium ostensa anno quinquagesimo quinto, eos ultra prodire prohibuit. Tunc sanctus Guibertus, fundator Gemblacensis monasterij, quosdam eorum sua prædicatione conuertit, dum per vicum Gemblacensem ibant, & redibant. Altimontenses autem reliquias sancti Marcelli papæ & martyris, in terra defoderant, ne in barbarorum manus deuenirent.

Claruit eodem tempore sanctus Gerardus abbas, fundator Broniensis monasterij, qui multa templa & monasteria, à Nortmannis euersa, reparauit, potissimum in Flandria: Idem ad monasterium suum attulit ossa sancti Eugenij Toletani episcopi, sicut Guibertus ad Gemblacum corpus sancti Exuperij vexilliferi.

## C A P V T   X I I I I .

**S**anctus Macarius patriarcha Antiochenus, resignato patriarchatu peregrinando in Belgium nostrum peruenit. in quo & viuus & mortuus innumeris miraculis claruit. Anno millesimo duodecimo Gádaui peste obiit, & sua morte omnium velut mortem, Deo placato restinxit. Eleuatus est ab episcopis, anno ab obitu circiter quinquagesimo quinto, præsente Philippo Francorum rege, & alijs vtriusque ordinis proceribus.

Sanctus Arnulphus episcopus Suectionensis, mi-

CHRONICON

sis, militiæ cingulo accepto, multas Brabantinas atque Flandrenses lites sua prudentia diremit, sed sacerdotalis militiæ pertæsus ad Sueffonicum sancti Medardi monasteriū migravit. vbi aliquanto post abbas est creatus: deinde urbis episcopus. Inde pacis minister, pro pacis redintegratione Apostolica authoritate in Flandriam rediit; vbi authoritate Radbodi episcopi Nouiomensis, Aldenburgi diu Petri ecclesiam, vñibus abbatiæ aptandam suscepit. in qua abbas obiit, anno millesimo octuagesimo septimo. Circa illa tempora, anno videlicet septuagesimo, strangulata est Gestellæ sancta Godeleua, à seruis suis, iussu Bertulphi mariti.

Hierosolymitanæ expeditio.

Godofridus dux Bullonensis, Christianæ militiæ antesignanus inuictissimus, anno millesimo nonagesimo sexto, cum multis principibus, præcipue Belgicis, in expeditionem Hierosolymitanam profectus, mirabiles & inauditos triumphos est consecutus. Anno nonagesimo nono Hierosolymæ à Christians captæ sunt, & primus rex creatus est dictus Godofridus. qui ut in Christiani nominis hostes accingeretur, ducatum suum Bullonensem iam pridem mille trecentis marchis argenti vendiderat Leodiensi episcopo. Moriente autem Godofrido, Balduinus frater eius, in regno succedit, anno millesimo centesimo.

C A P V T X V.

Heresis  
Antuerpiæ  
à Norberto  
extincta.

A Nno millesimo centesimo vigesimo quarto claret venerabilis Norbertus fundator ordinis Præmonstratensis, qui cum suis multum laborauit Antuerpiæ, contradestandam seductionem